


IN NOMINE JESU CHRISTI
REDIVIVI EX SEPULCHRO, TRIUMFATORIS
GLORIOSISSIMI!
EXCERCITIUM ACADEMICUM,
QVO
RESURRECTIONIS
MORTUORUM
possibilitas, probabilitas, & certa veritas
adseritur.

Quam,
Per DEI gratiam,
benivolo Ampliſſ: & plur: venerandæ Facultatis
Theologicæ consensu,
PRÆSIDE
FRANCISCO WOLFFIO,
Theologiæ Doctore & P. P. nec non ad
ædem D. Mariæ Pastore,
Præceptore, Hospite & Fautore suo, omni Honoris & Amoris
genere prosequendo,
publicæ & amicabili Theologorum discussioni,
in Auditorio Majori,
ad diem VI. Junii.
expositurus est


BERNHARDUS Oldermann.



ROSTOCHI,
Typis JACOBI RICHELII, Senat. Typogr.
ANNO CHRISTI 1683.

Coll. diss. A
238, 19

Diff. A. 238 (19)



V I R O

Summe Reverendo, Amplissimo atq; Excellentissimo

DOMINO

D_N. CHRISTOPHORO

FRANKIO,

SS. Theologiæ Doctori, ejusdemq; in alma

CHRISTIAN-ALBERTINA Professori

Ordinario Celeberrimo

Sächs.
Landes-
Bibl.

PRÆCEPTORI QVONDAM SUO

VENERANDO

ET

FAUTORI ÆSTIMATISSIMO

*Disputationem hanc, in debitam Animi gra-
tissimi memoriam contestandã sub-
misso obsequio*

consecrat

Bernh. Oldermann/Resp.



§. 1.

RESURGERE, quod conflatur ex particula RE, sæpius iterationem quandam significante, & verbo SURGERE, nihil aliud esse videtur, quàm iterum surgere; & porro RESURRECTIO nihil aliud fuerit, quàm ITERATA SURRECTIO. Unde Ambrosius lib. de fide Resurr. cap. 19. *Hæc, ait, est resurrectio, sicut verbi ipsius sono exprimitur, ut, quod cecidit, hoc resurgat, quod mortuum fuerit, reviviscat.* Et Damascenus l. 4. de Orthodoxa fide c. 28. *ἀνάστασις ἐστὶ δευτέρως ἢ πρῶτον ἔσθαι, i. e. resurrectio est altera (secunda, iterata) ejus, quod ceciderat, statio.*

§. 2.

Ut vero aliquid RESURGERE dicatur, sequentia videntur requiri: (1) *ut antequam resurgat, non stet.* Idem enim simul stare & resurgere nequit, & resurrectio non est, nisi non stantis. (2) *Ut tamen ante aliquando revera steterit.* Quod nunquam fuit, potest fieri, si non sit *ἐκ τῶν ἀδυνατῶν*, quod nunquam stetit, potest surgere; interim quod nunquam ante stetit, non potest iterum SURGERE, h. e. RESURGERE. Unde Tertullianus de resurr. carnis p. m. 76. *Non, ait, resurgit, nisi quod fuit.* (3) *Ut novam, à priori, quam olim habuit, stationem, sive surrectionem acquirat.* Quo sensu Radulphus, Flaviacensis, Monachus, qui viginti in Leviticum libros reliquit, lib. 8. c. 6. ut habetur apud Canturiatores Centur. 10. c. 4. p. 246. *Resurrectionem dicit esse novam post mortem vitam.* (4) *deniq; requiri videtur identitas suppositi, ut nempe idem sit suppositum. & quod olim stetit, & hæcenus non stat, & per iteratam surrectionem resurgit.* Reflectit quippe particula RE ad identitatem suppositi olim stantis, & nunc novam stationem, per iteratam surrectionem, acqvirentis. Ex variis vero identitatis rationibus utramque hic paginam facit illa, quæ dicitur alias *identitas numerica*, quæ innum perfectissimumq; identitatis gradum constituit. Licet enim & flores dicantur resurgere, quia, quamvis non iidem numero reflorescant, qui ante annum oculos paverant, iidem specie, exacto

A 2

aunuo

Annuo spatio, redeunt: tamen longè accuratiori dicendi ratione illud vocabitur resurgere, quod non tantum idem specie, sed plane idem numero, interveniente novæ cujusdam stationis acquisitione, redibit. Hinc Thomas in supplem. Quæst. 79. art. 1. corp. *Si non est idem corpus, quod anima resumit, nec dicitur resurrectio, sed magis, novi corporis assumptio.*

§. 3.

Inter vero omnia, quæ resurrectionis privilegio beari possunt, considerationem merebitur carnis humanæ à morte reditus & resurrectio, quam Tertullianus, in suo de resurr. carnis libello, quam elegantissimè, nunc RECORPORATIONIS, nunc REDANIMATIONIS, nunc REVISGERATIONIS OSSIUM & RESPIRATIONIS encomio insignire voluit. Quamprimum enim homo ex utero matris in hanc lucem enititur, certa quadam in vitæ collocatur STATIONE, unde injussu Imperatoris jam tum olim Pythagoras, ut habetur apud Tullium de senectute, vetuit decedere. In eâ suo quisq; defungitur officio, donec per mortem avocetur, & CADAT. Quæ ratione ipsa Scriptura S. tò mori per CADERE interdum explicat, uti videre est inter alia Exod. 19. 21. & in N. T. 1 Cor. 10. 8.

§. 4.

Cum vero illud tantum resurgat, quod cecidit, & vitæ restituatur, quod eâ fuit privatum, videndum, quid in homine cadat, ut inde rectius constet, quid resurrectionis gloriam expectare habeat. Unde Tertullianus de resurr. carn. p. m. 47. *Cum audio, ait, resurrectionem homini imminere, quæram necesse est, quid ejus cadere sortitum sit, siquidem nihil resurgere expectabit, nisi quod ante succiderit.* Et Proclus apud Epiphani. hæresi 64 *Resurrectio, non est de non lapso sed DE LAPSO dicitur, Non quod stat, sed quod lapsum est & inclinatum, resurgit.*

§. 5.

Homo igitur tanquam unum compositum plura in se includit. (1) gaudet ANIMA, eaque rationali. (2) CORPUS, idque organicum, variis partibus organisque præditum habet. (3) Hæ partes essentielles, ut unum totum constituent, NEXU quodam sive vinculo inter se ut connectantur necessum est, quod vinculum aliàs unionem vocant, ab uniendi officio, quo fungitur, estq; nemine cogitante ab utroq; extremorum distinctum, quod vel ex eo constat, quia ab utroq; ex-

tere

tremorum separari potest. Inde jam (4) his positis & copulatis, totum compositum resultat, quod vocamus HOMINEM, quod ab horum conjugio in solidum dependet, adeoque vel deficiente unico illico destruitur. Per mortem igitur solvitur ante omnia illud vinculum, illa unio, & evanescit. Porro cum compositum essentialiter dependeat ab omnibus simul, cessante vinculo, destruitur statim compositum, adeoque etiam cadit homo. Unde porro consequitur, corpus quoque utpote conservatore spiritu orbatum, subeuntibus ordinaria lege dispositionibus in ejus resolutionem conspirantibus, per mortem cadere, & in principia sua abire. Sola igitur anima rationalis, quæ juxta effatum Jesu Christi Matth. 10. 28. hominum virtute nequit occidi, facta tecta à destructionis periculo superabit. Constat adeo ex dictis, animam, cum non ceciderit, non posse resurgere, sed per resurrectionem reproduci debere ante omnia corpus organicum, novam animæ superstitis cum reproducto corpore unionem, & sic tandem hominem mortuum resurgere posse. Quam in rem iterum Tertullian. de resurr: carnis: *Caro est, quæ morte subruitur, ut exinde à cadendo cadaver renunciatur. Anima nec vocabulo cadit, quia nec habitu ruit. Ipsa est quæ ruinam corpori infert cum efflata est; si ut ipsa est, quæ illud de terra suscitabit ingressa. Non potest cadere, quæ suscitavit ingressa. Non potest ruere, quæ eligit egressa. Arctius dicam, ne in somnum quidem cadit anima cum corpore, ne tum quidem sternitur cum carne. Sed enim agitur in somnis & jacitatur, quiesceret autem, si jaceret. Ita nec in veritate mortis cadit, quæ nec in imagine ejus ruit. Similiter Theodoretus de divinis decretis p. m. 407. *Corpus est quod interit & dissolvitur, & in terram mutatur. Immortalis enim animæ non est resurrectio, sed est ad corpus REVERSIO.* Et Theophylact. in Marc. cap. 12. apud Centur. Cent. 10. p. 246. *Immortalis anima non cecidit, sed corpus hoc; itaque & resurget iterum conjugali animæ complicitum.**

§. 6.

Quamvis vero fiducia Christianorum sit resurrectio mortuorum, illa credentes finis, hoc credere veritas cogat, veritatem Deus aperiat, uti auspiciatur Tertullianus, suum de Resurr: carnis tract: tamen non defuerunt, qui eam voce scriptisque exploderent, & tanquam figmentum ab omni ratione alienum exhibilarent: non defuerunt, qui erroneis suis opinionibus hujus dogmatis fidem saltim sollicita

rent. Hinc pergit Tertullianus l. c. *Sed vulgus invidet, existimans nihil superesse post mortem.* Et post pauca interjecta: *Plane cum vulgo interdum & sapientes sententiam jungunt, Nihil esse post mortem Epicurischola est.* Ait & Seneca omnia post mortem finire, etiam ipse, Idem tract. de præscript. advers. hæret. c. 8. *Ut carnis restitutio negetur, de una omnium philosophorum scholâ sumitur.* Apud Minutium Felicem Cæcilius Christianis insultat h. m. *Nec hac furiosâ opinione (de interitu mundi) contenti ANILES FABULAS adstruunt & adnectunt: renasci se ferunt post mortem, cineres, & favillas, & nescio qua fiducia mendacis invicem credunt, putes eos jam revixisse.* Augustin. in Psalm. 88. *In nulla, inquit, re, tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnixè & contentiose contradicitur fidei christiænæ, sicut de CARNIS RESURRECTIONE.* Nam & de animi immortalitate multi etiam Philosophi gentium multa disputaverunt, & immortalem esse animum humanum pluribus & multiplicibus libris conscriptum reliquerunt. Cum ventum fuerit ad resurrectionem carnis, non titubant, sed apertissimè contradicunt, & contradictio eorum talis est, ut dicant *FERI NON POSSE*, ut caro ista terrena possit in cælum ascendere. Unde de Synesio Philosopho quodam Platónico refert Nicephorus histor. Ecclesiast. L. 14. c. 55. Cum ei Theophilus Alexandrinus, ut salutarem reciperet regenerationem, jam persuasisset, illum se *AD ALIA* quæ Christiani profitentur, promptum & facilem præbuisse, *RESURRECTIONIS* vero doctrinam primum minime recepisse, *NEFANDAM* eam & *DETESTANDAM* judicans.

§. 7.

Huc pertinet illud Lucretii l. 3.

Nec quisquam expergitus extat,

Frigida quem semel est vitæ pausa secuta.

Et quem fugere potest detestanda Plinii impietas, qui non tantum lib. 2. Hist. N. c. 7. *Deum non posse mortales aternitate donare, aut REVOCARE DEFUNCTOS*, palam fateri, sed & lib. 7. c. 55. sequentia eruere non erubuit: *Omnius à suprema die eadem quæ ante primum. Nec magis à morte sensus ullus aut corpori aut animæ quam ante natalem. Quæ, malum, ista dementia est, iterari vitam morte? Inde facilius certiusq; reur sibi quemq; credere, ac specimen securitatis antegenitali sumere experimento.*

§. 8. Ipsa

§. 8.

Ipsa Scriptura S. testimonium omni exceptione majus hujus gentilium ἀπιείς perhibet Act. 17. 18. ubi Athenienses Paulum σπερμολόγον & novorum dæmoniorum denunciatores appellitant, quod illis Jesum Christum & resurrectionem mortuorum annunciatet. Commate insequente 32. audientes resurrectionem mortuorum, alii eum irridebant, alii vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum, Conf. Act. 16. 8. & 24. ubi resurrectionem mortuorum profertenti Festus magna voce regessit: **INSANIS PAULE!** Tanto conatu, tantâq; consensione gentiles à fide hujus resurrectionis abhorruerunt.

§. 9.

Gentilibus longo ordine suppetias tulerunt varii variorum temporum adversarii. Versante adhuc in terris Domino nostro Jesu Christo mortuorum resurrectionem inficiabantur Sadducæi, de quibus videri poterit, Josephus l. 13. Antiquit. c. 9. & l. 18. c. 2. nec non de bello l. 2. c. 12. Epiphani. quoq; hæresi 14. Conf. ante omnia Matt. 22. 23. Marc. 12. 18. Luc. 20. 27. Act. 23. 8. quos ad incitas redegit apud Matthæum l. c. ipse Salvator noster, & quidem ex ipso Mose, sive quod ipsi præter Mosen reliquas scripturas V. T. parvi facerent, adeoque ex Mose convincendi essent, sive quod ipsi è Mose argumentum contra resurrectionem mortuorum Domino nostro Jesu Christo objectavissent. De Hymenæo & Philetō Paulus refert 2 Tim. 2. 17, 18. quasi adseruerint resurrectionem jam esse factam, sive per pœnitentiam & fidem, sive per liberorum procreationem, sive per animarum in alia corpora transitum, sive per reversionem judæorum ex captivitate Babylonica, sive per renovationem terræ, quæ fit verno tempore; sive per baptismum, sive per resurrectionem Christi, sive illorum qui Matth. 27. 52. surrexerunt leguntur, uti alii aliter horum mentem explicarunt, quo de pluribus videri poterit Magnif. Dn. D. Calovius in Bibliis illustrat. ad. h. l.

§. 10.

Samaritæ apud Epiphanium hæresi 9. mortuorum resurrectionem ignorarunt, nec crediderunt. Simon Magus, quem Nicephorus l. 2. H. E. c. 14. hæresium omnium Ducem & principem vocitat, & adsectæ ejus, Simoniani, carnis resurrectionem negabant, juxta Augustinum

gustinum

gustinum in catalogo hæret. 1. Inter hos forte fuerint *Dositheani, Gortheni, Marbothei, Adrianistæ, Eutichistæ, Canistæ*, quos ex hac amarissima radice exortos fuisse tradit Theodoretus hæret. fabb. in fine hæreseos Simonis. Tandem tibiam inflavit Menander. Nihil enim, teste Epiphano, hæresi 22. *de doctrina Simonis variabat, quam id solum, quod se ipsum majorem præceptore jactabat, & teste Irenæo l. 1. c. 21. docebat; Resurrectionem per id, quod est in eum, baptismum, accipere ejus discipulos, & ultra non posse mori.* Ita Diabolicæ fuit solertiæ, ut cum Nicephoro loquar, l. 3. c. 12. in fine: *Pertales magos, qui Christianorum sibi, prætextus gratia, nomen sumfissent, ecclesiastica, de animarum immortalitate, & mortuorum resurrectione, dogmata traducere, atque evertere.*

§. II.

Menandrum excepere discipuli ejus teste Nicephoro l. 4. c. 2. Saturninus five Saturnillus & Basilides, quem Epiphanius in fine hæres. 23. condiscipulum & coërronem Saturnili vocat. *Basilides negavit carnis resurrectionem, ait Theodoretus hæret. fabb. ejusque filius ISIDORUS cum aliquo additamento Patris fabulosa commenta confirmavit.* Basilides juxta Tertullianum de hæresibus *carnis resurrectionem graviter impugnavit, Conf. idem de præscript. lib. 2. c. 46.* Saturninus vero apud Tertull. de hæresi docuit CARNIS resurrectionem nullo modo futuram. De anima tamen hominis teste Theodoro sentit: *Divinam potentiam vitæ scintillam immisisse corpori, eamq; post vitæ dissolutionem reverti ad potentiam, quæ illam miserat.* CARPOCRAS ut vocatur Epiphano hæresi 27. five Carpocrates *resurrectionem corporis simul cum lege abjiciebat, ut habet Augustinus de hæresi n. 7. illud ut evinceret, docente Tertulliano, statuit: solam animam Christi (non corpus) in cælo receptam, quæ colligeret, tentatâ animarum sola salute, nullas corporis resurrectiones.* VALENTINUS porro apud Tertull. de hæres. *resurrectionem carnis hujus negavit.* Et post eum Ptolemæus & Secundus hæretici. Heracleon etiam paria cum Valentino sensit, licet novitate quadam pronuntiationis alia sentire videri voluerit. De eodẽ Valentino, quomodo carnis resurrectione negatâ animam tantum & Spiritum per Christum salvari affirmaverit vid. Augustinus hæres. 11. & conf. Cyprianus expositione in Symbolum Apostolicum. Huc referendi Bardesanes & Bardesanistæ apud Augustinum hæresi 35. & Marcus apud eundem hæresi 18. Tertullianus de hæresi

Marco

Marco jungit Colarbasum. Cerdon etiam animæ tantummodo resurrectionem probabat, corporis negabat, ut loquitur Tertull. adversus hæreses p. 110. Hujus hæresin Marcion approbare conatus est. Extitit post hunc LUCANUS, hic per eadem vadens blasphemix genera, eadem, quæ Marcion & Cerdon, docuit. Apelles post hos subsequitur, qui carnis resurrectionem negavit, animarumque solarum dixit salutem, vid. Tertull. l. c. Christum voluit sine carne resurrexisse & in cælum ascendisse, ne scilicet admissa carnis Christi resurrectione cogereetur & nostræ carnis concedere resurrectionem, cum Christus VAS & OBSES nostræ, immo FIDEJUSSOR communis resurrectionis factus fuerit, ille qui est ἀρχὴ καὶ πρῶτότης ἐκ τῶν πνευμάτων juxta epistolam ad Coloss. c. 1, 18. His annumerantur ab Augustino hæresi 18. CAJANI, hæresi 20. Archontici, hæresi 24. Severiani, hæresi 47. & ab Epiphanio hæresi 67. Hierarchitæ, & à Tertull. de hæres. Ophitæ. Ad horum exercitum referunt Centuriatores Cent. 4. p. 406. Symmachianos, & p. 384. Apollinarium. Kippingius in auctario suo ad Pappi H. E. p. m. 177. inter hos recenset Efrenos, Manichæos, Donatistas, Euthymium, Johannem Philoponum, Almericum Carnutensem, Saracenos, Libertinos &c. Tanta, ipsiq; nominibus suis horrenda adversariorum agmina ingentibus animis variisque moliminibus allaboraverunt jamdudum oppugnare & subvertere Christianorum de resurrectione carnis hujus immotam fiduciam.

§. 12.

De Origine quoque qui alias *Secundus Ecclesie Magister post Apostolos* Hieronymo dicitur, & *Sena millia librorum scripsisse*, quamvis non sine sententiarum dissonantia, quædam circa hanc quæstionem passim circumferuntur. Sunt qui tribuant ei quod docuerit, corpora quidem, non tamen carnem nostram, & quidem corpora & specie & genere à nostris diversa, resurrectura esse, quod juxta 1. ad Corinth. c. 15, 50. *caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*. Imo juxta versum 44 *feminato corpore animali surrecturum est corpus spirituale*. Apud Epiphanium hæresi 64. ex Methodio quædam citantur, unde colligi videtur eum statuisse, resurrectura quidem corpora, cæterum spiritualia, carnis ossiumq; expertia. Apud Hieronymum Epist. 61. corpora in quibus toti visuri sumus, toti audituri, toti ope-

B

raturis

rāturi, toti ambulaturi. Corpora quæ non habitura membrorum
diversitatem, sed spiritualia, ætherea, quæ nec tactui subjaceant, nec
oculis cernantur, nec pondere prægraventur. Nonnulli, eum do-
cuisse, resurrectione quidem spiritualia, carnem & ossa non habentia,
eandem tamen speciem externam, sive figuram, quali pridem fuerint,
servantia. Apud Binium tomo II. Concil. part. 2. p. 143. tractatus piissimi
Imperatoris Justiniani missus ad Mennam adversus Origenem dicit,
voluisse Origenem in resurrectione corpora hominum orbiculata suscitanda
esse. Baronius ad annum Christi CCCXCIII. n. 10. Orthodoxos ab Ori-
genianistis PILOSOTAS vocitatos fuisse commemorat, quasi crede-
rent, mortuos resurrecturos etiã cum pilis suis. Rursum Sixtus Senensis
in biblioth. contendit Origenem admisisse resurrectionem etiã ejusdem
speciei corporis, negasse tantum ejusdem numero individui resurre-
ctionem. Pamphilus denique Martyr (quem sub hoc ficto nomine
Eusebium esse autumat Hoffm.) in ea quam pro Origene scripsit apo-
logia evincere contendit Origenem in pluribus locis ejusdem etiam
numero individui corporis resurrectionem magnifice prædicasse.

§. 13.

Huc etiam referuntur à nonnullis Bongomilii, & David Geor-
gius, de quibus videri poterit Alexander Rossæus. Sociniani, ut ut
protestentur, se credere resurrectionem mortuorum, non tamen in-
telligunt eadem, quæ nunc circum ferimus, corpora, sed quæ olim
nostra futura sint. Vid. Magn. Dn. D. Calov. in Socinismo profligato
p. m. 1063. ubi adducit Smalzum expresse fassum: *Corpora hæc quæ
nunc circum ferimus, resurrectione non credimus.* Remonstrantes etiam
in ea quam pro confessione sua ediderunt apologia Anno 1629. con-
tra censuram quatuor Professorum Leidensium c. 19. p. 219. *Quod at-
tinet, scribunt, quæstionem: AN EADEM CORPORA SANCTORUM
INTELLIGANTUR à Remonstrantibus, an alia corpora à Deo creanda? eam
cum Calvino inter curiosas potius quæstiones, quam inter utiles ponendam esse
censent.* Et provocant ad epistolam Calvini CIII. quam Lælio Soci-
no inscripsit. *Rationes, pergunt, pro utrâq; parte probabiles sunt, Nec
fieri potest ut solide lis hæc decidatur quam diu certo non constat, An hoc cor-
pus pars essentialis hominis, an vero instrumentum tantum sit animæ humanæ,
quatenus in hac vita ejus ministerio indiget, ad se in eo sustentandum, & quod
in futura vita plane necessarium non erit. Litem hanc decidet aliquando Deus*

in futuro seculo, ubi tum demum intelligemus & sentiemus, eodem, an novo corpore nos donaverit Omnipotens. Ita & hi dogma de ejusdem numero corporis resurrectione labefactare sategerunt.

§. 14.

Nos vero hac vice in eo elaborabimus brevissimis ut ostendamus I. resurrectionem mortuorum, imo hujus carnis, non esse impossibilem. II. Eam etiam esse non improbabilem. III. Denique eam certo esse futuram.

§. 15.

Quod igitur ad primum attinet, observamus, ad hoc ut aliquid dicatur fieri possibile, duo præcipue requiri (a) possibilitatem intrinsecam, quæ consistat in non repugnantia ad existendum l. fiendum. Quod enim repugnat fieri, est impossibile. (b) possibilitatem extrinsecam, quæ sit virtus & potentia causæ efficientis, quæ possit causa hoc, quod fieri non repugnat, efficere. Hæc si desit, res, quamvis in se possibilis, tamen ratione causæ manebit impossibilis. Utraque possibilitas habetur in resurrectione mortuorum. Ergo resurrectio mortuorum non est impossibilis, sed possibilis.

§. 16.

In resurrectione mortuorum ù dari possibilitatem intrinsecam, sive priorem, probatur h. m. Per mortem solvitur unio inter animam & hoc corpus. Unio, cum tanquam modus essentialiter à suo subjecto dependeat, perit & in potentiam materiæ remeant, vel si fingere velis, in nihilum abit. Anima rationalis, uti nunc supponimus, soluta à corpore, non interit, sed in statu separationis eadem numero permanet. Corpus hoc inanimatum destruitur quidem & in cineres favillasque, vel alia principia materialia, unde compositum erat, resolvitur, ne utique tamen in nihilum redigitur, remanente, quamvis sub aliis atque aliis formis, saltim materia prima. Remanet igitur eadem numero anima, & eadem numero corporis materia. Bene Tertullian. de resurr. Car. circa finem p. 83. *In deposito est ubicunq; apud Deum. Carnis interitum quem putas, secessum scias esse. Non sola anima seponitur, habet & caro secessus suos. Interim in aquis, in ignibus, in alitibus, in bestiis, cum in hæc dissolvi videtur, velut in vasa transfunditur. Si etiam ipsa vasa defecerint, cum de illis quoque effluerit, in suam matricem terram, quasi per ambages resorbetur, ut rursus ex illa presentetur.* Minutius Felix

lix in Octavio : Tu, ait, perire Deo credis, si quid oculis nostris hebetibus subtrahitur? Corpus omne sive arefcit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur NOBIS, SED DEO ELEMENTORUM CUSTODI RESERVATUR. Ambrosius etiam de fide resurr. cap. XI. Quid miraris, si homines, quos acceperit, terra restituat, cum seminum corpora quæ cum vi susceperit, vivificet, erigat, vestiat, munit atq; defendat. Desine ergo dubitare, quod DEPOSITUM GENERIS HUMANI terre fides reddat, quæ commendata sibi semina usurario quodam sanore multiplicata restituat. Elegantiissime etiam Tatianus contra gentes : Quamvis totam carnem incendium ex oculis auferat, materiam tamen evaporatam mundus excipit : quamvis in fluviis, aut in mari absumat, vel à feris dilaniet, CONDOR tamen IN PENNÀ divitis DOMINI. Improbis quidem & atheis depositum nesciunt : DEUS autem qui regnat, substantiam sibi soli conspicuam, ubi volet, pristinae integritati restituet. Jam vero, si adsit causa efficiens sive producens tanta virtute prædita, quod de jam jam dicetur, ut materiam remanentem ita disponat, perficiat ut exinde idem corpus, quod ante fuerat, reproducat, nulla sane in materia illa erit repugnantia ad fieri. Sicut enim ante ex hac materia hoc corpus factum est, cum hætenus nullum ex ea corpus humanum factum fuisset, cur non pateretur, ut corpus hoc ex ea reproducat, quod jam ante ex ipsa productum fuerat. Si in auro vel argento nulla est repugnantia, ut, licet in tenuissimos pulvisculos & minutissima corpuscula redactum, heterogeneisq; corporibus ita permixtum fuerit, ut vel visus aciem fugiat, per aurifabri solertiam, artisq; beneficium passim permixtum dispersumq; separetur, rursusq; colligatur, & simile vasculum, cujus ante figuram gesserat, inde confletur, quæ quæso erit repugnantia in pulvisculis corporis hujus, quo minus & illi possint rursû adunari, si virtus efficientis hoc possit, & in pristinam figuram statumq; adaptari? Quo ita se habente anima superstes corpori huic reproducto poterit conjungi, & producta unione eidem rursus uniri, & luculentum adeo resurrectionis mortuorum specimen exhiberi.

§. 17.

Sed præter hanc datur virtus & potentia sufficiens, nempe omnipotentia Dei, per quam quicquid in se non implicat contradictionem nec perfectioni ejus repugnat, efficere potest. Hac sua potentia omnia ex nihilo prodire jussit, per hæc corpus hominis è terra, unde

unde nunquam tale corpus productum erat, formavit. Ergo si jam olim corpus hominis ex terra produxit, cur non ex materia eadem in terram resoluta denuo corpus producere posset. Bene Tertull. in apologet. c. 48. *Qui nihil fueras, priusquam esses, idem nihil factus, cum esse desieris, cur non possis rursus esse de nihilo, ejusdem ipsius Auctoris voluntate, qui te voluit esse de nihilo? quid novi tibi eveniet, qui non eras, factus es, cum iterum non eris, fies. Redde, si potes, rationem, qua factus es, & tunc require, qua fies. Et tamen facilius utique fies, quod fuisti aliquando, quia eque non difficile factus es, quod nunquam fuisti aliquando. Dubitabitur, credo, de Dei viribus, qui tantum corpus hoc mundi, de eo quod non fuerat, non minus quam de morte vacationis & inanitatis composuit, animatum spiritu omnium animatore. Et Athenagoras apud Amb. pag. 397. in apol. Tertull. *Vires Dei sufficere ad corporum restitutionem indicat vel ipsorum procreatio. Si enim hominum corpora cum non essent, condidit, eorumque principia, unde originem trahunt, procreavit, etiam quomodocumque dissoluta cum eadem facilitate instaurabit: Id enim illi eque possibile est. Cujus enim est potestatis à sua conditione informem materiam transformare, nullaque figura indutam, multis & diversis vultibus exornare, ejusdem Auctoris fuerit, & ejusdem potestatis, & quod dissipatum est, conuire, & quod jacet surrigere, & quod mortuum est denuo vivificare, & corruptibile mutare in incorruptibilitatem. Ergo monente rursus Tertull. c. 48. in Apolog. Considerate te ipsum o homo, & fidem rei invenies. Recogita quid fueris, antequam esses, utique nihil. Meminisses enim, si quid fuisses. Cui ante tui corporis productionem non ignota fuit elementorum tuorum natura, ex quibus suum ortum corpus traxit, ille nec ignorabit, quò singula recedant, quæ ad perfectionem corporis assumserat, ubi integritas illa dissipata fuerit. Similiter Augustinus l. 22. de C. D. c. 20. Absit, ut ad resuscitanda corpora vitæque reddenda non possit omnipotentia creatoris omnia revocare, quæ vel bestia, vel ignis absumpsit, vel quicquid in pulverem cineremve collapsum, vel in humorem solutum, vel in auras exhalatum. Absit, ut sinus ullus secretumque nature ita recipiat aliquid, subtractum sensibus nostris, ut omnium creatoris aut lateat cognitionem, aut effugiat potestatem. Quod porro probat ex Ciceronis, tanti Auctoris gentilium, sententiâ, qui Deum vocat mentem omnia sentientem & moventem. Ut igitur, ait secundum ipsos loquar, quomodo aliquid vel latet omnia sentientem, vel irrevocabiliter fugit omnia moventem? Et post quædam interjecta;**

terjecta: *Quicquid carniū exhausti fames, utiqve in auras est ex balatum,*
unde diximus omnipotentem Deum posse revocare quod fugit.

§. 18.

Ex ipsis quoque Gentilium scriptis, contra Ethnicos, qui fidem talibus addixerunt suam, urgere possumus, pro possibilitate resurrectionis mortuorum, varias sive historias, sive fabulas, sive præstigias & fallacias, quæ ibidem occurrunt de mortuis vitæ restitutis, sive à morte viventibus. Si enim crediderunt quosdam revixisse, ultro sequitur resurrectionem mortuorum ipsis non impossibilem visam fuisse. Plinius l. 7. Hist. nat. integrum caput 52. consignavit de iis, qui elati revixerint. Memorabile est quod Plato l. 10. de Republ. à p. m. 614. de pœnis cujusdam Ardiai Tyranni, interprete Hero Armenio, teste oculatissimo, refert; Quam narrationem indigitat quoque Valerius Max. lib. 1. c. 8. Scilicet hunc Herum inter eos qui in acie ceciderant, decem diebus jacuisse, biduoque postquam inde sublatus esset, impositum rogo revixisse, ac mira quædam tempore mortis visa narrasse: se duos conspexisse hiatus, inter quos iudices sederint, qui de mortuorum animis cognita causa iudicium tulerint, justos ad dextrâ in superiorem cœli locū conscendere, injustos ad sinistrâ in locum inferiorē abire jusserint, appensis post terga eorum omnium quæ in hac vita perpetraverint monumentis. Ardiaū hunc & socios manibus pedibusq; & cervice ligatos in terrâ afflictos & ex carnificatos &c. Quo de non abs re Justinus in cohort. ad Græcos apud Ambianum in observ. ad Apolog. Tertull. p. 395. ita sentit: *Plato in Ægypto postquam in Prophetarum incidit testimonia, doctrinâ quoque de resurrectione corporis suscepta, cum corpore simul animam judicari docet.* Additque, per multa etiam ab Homero (cum v. gr. De Tityi cruciatibus agit) ex divinis Prophetarum libris in opus suum relata fuisse. De Aristæo quodam in Fullonica officina decedente, post experrecto, videri poterit Herodotus in Melpomene p. m. 262. Diogenes quoque Laërtius in proemio ad lib. 1. de vitis Philosophorum p. m. 5. adducit Theopompū octavo Philippicorum, & Eudemum Rhodiū, qui revicturos homines juxta Magorū sententiam dixerint, immortalesq; futuros. Ita *seculum*, ut cum Tertulliano loquar de resurr. p. 35. resurrectionem mortuorum, nec cum errat, ignorat. ita, ut apud Amb. l. c. loquitur Minutius Felix, Philosophi eadem disputant, quæ nos dicimus,

simus,

cimus, non quod nos simus eorum vestigia subsecuti, sed quod illi de divinis prædicationibus Prophetarum umbram interpolatæ veritatis imitati sunt. Patet igitur ex dictis, ne quidem sapientissimis Gentilium Philo-
phorum resurrectionem mortuorum impossibilem habitam fuisse.

§. 19.

Dices Ad eundem numero hominem non requiritur tantum identitas numerica corporis & animæ, sed etiam identitas numerica unionis illius, quæ quondam animam cum corpore colligabat: Ast vero eadem numero unio non poterit reproduci, quia unio est *modus*. *Modus vero est entitas adeo affixa rei singulari, ut nec esse sine ea nec concipi possit*; Uti jam v. gr. hæc sessio non reproduci eadem sed diversa numero cum quis de novo sedere incipit, ita nec unio eadem numero, sed distincta reproduci in resurrectione mortuorum, & sic non resurget idem numero homo. Sed Respond: (α) non omnibus dubitatione carere, an unio ita essentialiter rei singulari adhæreat, ut eadem numero, reproduci nequidem per potentiam Dei absolutum queat. (β) esto tamen, nequeat eadem numero unio restitui, sitque talis restitutio contra essentialitatem ejus, non requiratur ad idem numero corpus, eandem numero carnem, eandem numero animam, identitas numerica unionis, cum hæc illis plane sit extraessentialis sive accidentalis. Neque requiratur ad eundem numero hominem, ut, quicquid, quocumque modo, sive in recto, sive in obliquo, sive ut pars, sive ut vinculum, ad essentialitatem ejus pertinet, idem semper numero maneat. Quia vero unio inferioris entitatis est quam corpus & anima, & cum dicitur homo est corpus, & anima unione juncta, in obliquo tantum ponitur, ideo, etiam novâ adveniente numero unione, modo idem numero corpus, eadem numero anima adsint, eundem numero hominem restitutum esse censendum est.

§. 20.

Sed (II) nec improbabilem esse resurrectionem mortuorum Probatur ex sanctitate summa justitiæ divinæ. Tenor hujus juxta Gentilium opinionem efflagitat, ut benefacta præmiis, contra vero malefacta & scelera condignis pœnis damni dolorisque experimento stipatis excipiantur & penitentur. Sæpe vero numero videas optimos quosque miseriis hujus vitæ totos jacere immerfos, unde ad extremum usque vitæ halitum emergere atque eluctari non possunt.
Contra

Contra vero pessimos quosque gaudiis de litisque diffuere, & ad tumulum usque beari omnium bonorum copia atque affluentia. Ergo vi-
justitiae inviolabilis post hanc vitam speranda venit retributio cum
bene tum malefactorum, ne, ut loquitur Grotius de veritat. Relig.
Christ. l. 1. *aut insignis improbitas sine poena, aut magna virtus sine solatio
premioque maneat.* Quae de certis Paulus 1. Cor. 15. 19. *Si, ait, in vita
hac in Christo tantum fixam habemus spem, maxime miserabiles omnium ho-
minum sumus.* Ipsi gentiles ideo crediderunt, animos superesse corpo-
ribus, multa etiam de judicio divino post hanc vitam, & de mundo hoc
conflagraturum passim tradiderunt, de quibus videri poterit Grotius l.
c. p. 122. ubi citat carmina Homeri, Philosophos Graecos, Gallorum,
Indorum, Aegyptios, Thraces, Germanos &c. Ex hoc fonte promana-
runt illa Poetarum de Sisyphi saxo provoluto & revoluto, de quaeren-
te aquas in aquis Tantalo, de aeternis dapibus, quas fecunda poenis vi-
scera Titii & immortale jecur, praebent vulturi. Quia vero non sola
anima sed totum suppositum operationum suarum principium, & to-
tus homo anima & corpore constans per corpus bene vel male egit,
sequitur non esse improbabile toti homini, non uni tantum parti, re-
tributionis justitiam post mortem expectandam esse, & cum corpus
in pulverem relapsum fuerit, corpus inde resuscitandum esse, animaeque
suae postliminio conjungendum, ut sic in totum hominem eundem
numero, gestorum in hac vita justa redundet retributio. Hoc urget
Tertull. lib. de resurr. Car. p. m. 44. *Dicimus plenitudinem perfectionemque
judicii non nisi de totius hominis representatione constare, et si anima est, quae
agit & impellit in omnia; Carnis obsequium est. Deum non licet aut in ju-
stum judicem credi, aut inertem. Injustum si sociam bonorum operum (car-
nem) a praemiis arceat: inertem, si sociam malorum, a suppliciis secernat,
cum humana censura eo perfectior habeatur, quo etiam ministros facti
cujusque deposcit, nec parcens, nec invidens illis, quo minus cum Auctoribus aut
poena, aut gratiae communicent fructum.* Cyprianus quoque Serm. de re-
surrect. Christi (habetur tom. 3. operum) *Decrevisti clementius ut ex so-
cietate & clientela, quem reddiderat animae caro, aliquid ei commodi prove-
niret, & quae ei vehiculum fuerat, & particeps studiorum, in recompensatione
ministerii iterum dilecto accolae consociata rediret.* Et Ambrosius de fide
resurrect. c. 10. *Cum omnis vitae nostrae usus in corporis animaeque consor-
tio sit, resurrectio autem aut boni actus premium habeat, aut poenam impro-*
bi, ne-

ei, necesse est corpus resurgere, cuius actus expenditur. Quomodo enim in
iudicium vocabitur anima sine corpore, cum de *SUO & CORPORIS CON-*
TUBERNIO ratio præstanda sit. Rursum Tertull. in apolog. p. m. 393.
Certe quia ratio restitutionis destinatio iudicii est, necessario idem ipse qui
fuerat exhibebitur, ideoque representabuntur & corpora, quia quod omni-
no de iudicio Dei pati debent animæ, non sine carne meruerunt, intra quam
omnia egerunt.

§. 21.

Dicis (α) homines sine nota iniustitiæ corpus puniunt non animam,
ergo & Deus punire poterit animam non tracto in societate pœnæ cor-
pore. Respondemus, si homines animam cruciare possent, & illam
tanquam principem delictorum causam non impunitam dimissura
esset iustitia. Dei vero iudicia & sunt perfectiora, & ad utramque par-
tem se extendere possunt. Dices (β) corpus esse tantum animæ instru-
mentum, adeoque sibi constare iustitiam Dei, si princeps causa præmio
vel pœna afficiatur, relicto interim instrumento, præsertim si res eo
devenerit, ut id in rerum natura inveniri jam nequeat, satisque tum
esse puniri, quod superest, & puniri potest. Sed respond. non solam
animam esse hominem, sed ad essentiam ejus tanquam compositi, per-
tinere corpus simul & animam. Ergo si sola anima puniretur, non pu-
niretur homo. Et si corpus non pertineat ad esse hominis, homo non
moriatur, cum moritur, cum anima non moriatur. Ergo non sola
anima, sed anima simul & corpus facient hominem. Ergo corpus
non erit instrumentum, sed pars essentialis hominis. Quare nec ipsi
gentiles inficiati sunt, apud inferos impios in corporibus pœnas luitu-
ros, quod ex superioribus adductis exemplis constabit.

§. 22.

Deinde non contemnenda probabilitatis ratio adversus eum qui
Scripturæ alias non admittit *θεοπνευσίας*, desumi potest ex præconio
Apostolorum, quo universus ferme terrarum orbis pro fide resurrectio-
nis personuit. Ingentibus illi animis in trepidisque ausibus omnia re-
surrectionis dogmate implere allaboraverunt, fundamento hujus
dogmatis ex resurrectione Jesu Christi accersito. Videri poterit ita ar-
gumentatus Paulus 1. Cor. 15. à vers. 17. *Si Christus non resurrexit, super-*
vacanea est fides vestra, adhuc estis in peccatis vestris. Igitur & qui obdor-
mierunt in Christo, perierunt. Si in hac vita spem in Christo tantum fixam
habemus, maxime miserabiles omnium hominum sumus. Nunc autem Christus

G

resurgit

resurrexit ex mortuis, primitiæ eorum qui dormierant, fuit. Postquam enim per hominem mors, etiam per hominem resurrectio mortuorum. Quemadmodum enim per Adam omnes moriuntur, ita & per Christum omnes vivificabuntur. Hoc dogma felicissimo successu in stillarunt maximæ hominū multitudini, Judæorum, etiam Hierosolymis viventium, gentiliumq; pectoribus, etiam hominibus ingenio, eruditione, iudicioq; pollentibus, & ab ejus fide mirum quantum abhorrentibus, ipsi homines maximam partem simplices, & nullius apud Ethnicos Autoritatis, quod fieri non poterat nisi ad αὐτοψίαν aliosque oculatos testes provocarent. Quod factitatum quoq; legimus 1. Cor. 15. à vers. 4.-9. Et quamvis experimentis variis constaret, se hujus dogmatis propalatione plurimis deridendos illudendosq; propinari, varia sibi pericula laboresq; maximos & mille incommoda creari, ipsam deniq; mortem intentari, magna tamen animi constantia omnia illa exantlare quam vel latum digitum ab annuntianda hac veritate recedere, imo fidem ejus vel sanguine & morte sua nonnulli obsignare maluerunt. Ipsos deceptos falso putasse Jesum resurrexisse, non est credibile: Angeli enim lapidem devolverunt, & Unus dixit: Surrexit non est hic, Luc. 24. provocat ad inspectionem sepulchri, Venite, videte locum, ubi situs fuit Dominus, Matth. 28 6. Viderunt sepulchrum vacuum mulieres, sole jam oriente. Vidit idem Johannes, vidit Petrus, qui plane ingressus est sepulchrum, ut diligentius cuncta rimaretur adeoque non solum fascias, sed sudarium, idque seorsum suo loco collocatum vidit. Idem testati sunt milites principibus sacerdotum, licet postea largitionibus corrupti, aliud prætexerent. Apparuit redivivus Jesus Christus pluribus: Mariæ Magdalenzæ, duobus discipulis Emauntem profecturis, Petro Luc. 24. 34. Jacobo 1. Cor. 15. 7. nec tantum singulis sed simul pluribus apparuit, duodecim Apostolis Thomâ absente, eisdem, Thomâ præsentem, ut intuerentur de facie ad faciem, audirent conloquentem, corpus, vulneraque tangerent. Visus est plusquam quingentis fratribus simul, ad quos Paulus provocat 1. Cor. 15. quando plures eorum adhuc in vivis erant. Ipse Paulus, homo magni iudicii, oculis eum usurpavit, ibidem v. 8. qui vero credibile, tot, tantosq; potuisse, his positis, omnes decipi, præsertim cum Hierosolymis, ubi hæc omnia gesta, non dubitarent publice resurrectionem Christi defendere, ipso die statim Pentecostes, vid. Act. 2. 24. nec ausi sint ipsi Judæi eis deceptionem objectare quin
potius

potius promissa ingenti pecuniæ vi persuaserint custodibus ut dicerent corpus Jesu sese dormientibus, discipulos esse suffuratos, adeoque Apostolos non deceptionis, sed mendacii arguere, intenderint. Et si suspicio deceptionis surgere potuisset, cum tanta ideo paterentur, facillimo negotio & ipsi fidem omnem resurrectioni adhibitam excutere potuissent.

§. 23.

Nec est quod mendacii eos suspectos arbitrere: Ecquid enim mendacia vendituri ad tantum numerum oculatissimorum testium solent provocare? vel unde verisimile tantam testium nubem in unum idemque mendacium voluisse conspirare? quid enim ex mendacio utilitatis in caput Auctorum redundaturum sperare poterant? si honorem: At propter hoc dogma probris ignominiaque passim exponebantur. Si divitias: At omnia sua reliquerant secuturi Christum, ob professionem Christianismi bonorum damno, exilio, morte multabantur. Si alia vitæ commoda: At Evangelii, & fidei hujus prædicatio, labores, famem, sitim, verbera, carceres, aliaque in commoda comites indivulsos secum trahebat. Si famam: At si falsa prædicassent, nulla ratione sperare poterant tantos sui dogmatis à ratione & opinione hominum adeò alieni progressus, præcipue cum & imperantium auctoritas pro virili eosdem sufflaminaret, & sub ipsa præconii sui primordia specimen capere poterant, quæ ex hoc dogmate nomen sibi promittere possent. Quid quod hi viri vitæ ne quidem ab adversariis culpatae fuerint? quibus nihil objectum præter solam simplicitatem, cujus ingenium à confingendo mendacio longissime abest, ut loquitur Hugo Grotius in hanc rem lib. 2. de verit. relig. p. m. 139. sq. Quod eorum religio & eorum scripta, mendacia & falsa Testimonia maxime in divinis rebus prohibeant? *multi eorum, loquitur ibidem Grotius, morte exquisitissima ob id testimonium affecti sunt. Jam vero, ut quis sensus sui compos talia toleret ob conceptam animo opinionem, fieri potest: At, ut ob falsum, quod falsum esse norit, tam dura pati velit, non unus aliquis, sed plures, quorum id falsum credi, nihil intersit, res est plane incredibilis. Amentes autem eos non fuisse & vita & scripta satis testantur.* Causam igitur nullam infidelis habuerit, quo minus dogma de resurrectione Christi & resurrectione mortuorum tanquam probabile vel saltem non improbabile idque fide historica admittere possit.

Quamvis vero haecenus adducta possibilitatem & probabilitatem hujus dogmatis insinuent, nondum tamen fidem divinam, quod revera resurrectio mortuorum futura sit, generare poterunt. A possibilitate ad actum nulla est sequela ratio. Nec probabilitas absolute omnem oppositi formidinem excludit, fidesque divina praeter ipsum Deum testificantem alium non admittit Autorem. Quia igitur resurrectio mortuorum à libera Dei voluntate pendet, ex sola Scriptura S. vero quid Deus hac in re facere decreverit & testificatus fuerit, certo constat, ultro sequitur solida futurae resurrectionis mortuorum fundamenta ex arcanis Scripturae divinitus revelatae & depromenda & jacienda esse.

Certo igitur mortuorum resurrectionem esse futuram, quod erat (III.) probandum, adferitur (a) ex V. T. (β) ex N. T. Ex V. T. ante omnia urgemus immotam fidem indubitataeque spem Jobi, qua ille suam è mortuis resurrectionem amplexus publiceque professus est, quando, cap. 19. à vers. 25. interprete A. B. Montano in hunc modum loquitur: *Et ego NOVI Redemptorem (Goël) meum vivum, & novissimo super pulverem staturum, Et postquam pellem meam contriverint hanc, & de carne mea videbo Deum. Quem ego visurus sum mihi, & oculi mei (videbunt) viderunt, & non alienus. Quid haec Propetia, ait Hieronymus epist. 61. manifestius? nullus tam aperte post Christum quam iste ante Christum de resurrectione loquitur. Interim dicit Grotius ad hunc locum, Judaeos haec verba nunquam ad resurrectionem retulisse, cum tamen omnia videntur, quae aliquam in speciem eò trahi possint. Sed huic opponit Magn. Du. D. Calovius in Bibl. ill. p. m. 902. è Judaeis 70. interpretes, Chaldaicam Paraphrasin, alios, qui hanc confessionem Jobi de Christo videantur accipere, vel plane de resurrectione interpretari. Addit, plerosque Judaeorum & de carnis resurrectione dubitare, vel certe de statu piorum ex gentibus in resurrectione. Adducit Menasse Ben Israel, qui clare fatetur, antiquos Judaeorum dixisse, **JOBUM** negasse resurrectionem mortuorum. Egregium vero locum Hebraei Scholiastæ adducit Mariana apud Polum p. m. 191. qui ita reddit: *Super Pulverem surget, ad dandum essentiam & exitum omni invento quem invenerit super pulverem. Quae si ita se habent, quid mirum cœcutire haec plurimos Judaeorum, & Grotii assertio universalis cadet.*
Quid*

Quid quod? si vel maxime nullus Judæorum de resurrectione inter-
 pretatus sit, nondum certo se queretur, ergo non est hic locus de re-
 surrectione mortuorum explicandus. Censet porro Grotius Christia-
 nos quidem hoc loco usos ad probandam resurrectionis fidem, sed ut
 id facerent, coactos esse in versionibus suis multum ab Hebræo discedere.
 Sed neque hoc satis apparet, etiamsi ipsa Grotii versio pro optima ad-
 mitteretur; Illi Hebræa sic sonant: *Scio ego Redemptorem meum vivere,*
& illum post me staturum in campo, etiamsi non pellem tantum meam, sed &
hoc consumerent, in carne mea tamen Deum videbo, ego, in quam, hisce meis
oculis ego, non autem alius pro me: Quæ hic cogant verba hæc de meta-
 phorica potius Jobi resurrectione, de sterquilini sordibus, ad melio-
 rem vitæ conditionem esse intelligenda, & quomodo, quæ ea de mor-
 tuorum resurrectione explicant, cogantur multum ab Hebræo disce-
 dere, ego equidem me non videre fateor. Certe fundat fidem suam in
 Goele suo vivo, non secus ac Paulus 1. Cor. 15. 15. & 21. De temporali li-
 beratione & restitutione in integrum Jobus jam superiori capite 17. à
 v. 3. desperaverat, & hoc ipso cap. 19. 10. non obscure rursus insi-
 nuaverat, se certam mortis jamjam subeundæ opinionem induisse, op-
 pido igitur improbable fuerit Jobum tam subito mutatum hæc verba
 tanta animi cum fiducia, cum ad huc in presentissimo vitæ versaretur
 discrimine, protulisse & intellexisse de temporali quadam in integrum
 restitutione. Et unde quæso tam certus de temporali liberatione in
 individuo esse potuisset? cum temporales è calamitatibus liberationes,
 sicut sine conditione absolute ne quidem desiderari exigive queant, vix
 quisquam adeo certò & absolute sibi polliceri habeat. Maneat igitur
 fixum, Jobum hisce verbis spem suam fidemque certissimam futuræ à
 mortuis resurrectionis, Redemptori suo vivo ipsum resuscitaturò in-
 nixam, palam profiteri, & posteritati ad imitationem relinquere vo-
 luisse. Quam igitur Jobus spem fiduciamque in suum Redemptorem
 vivum de sua resurrectione collocavit, eandem & nos in eundem col-
 locare poterimus, & cum paulo 1. Cor. 15. 22. dicere: **Quemadmodum**
per Adam omnes moriuntur, ita & per Christum OMNES VIVIFI-
CABUNTUR.

§. 26.

Jobi fidem excipiat testimonium Danielis cap. 12. v. 2, 3. Ità vero
 ille: *Et (postea alii) multi è dormientibus humi pulveris expergiscentur, is*

ad vitas seculi, & ii ad opprobria, ad contemptum seculi, & intelligentes sub-
gebunt, sicut splendor expansionis, & justificantes multos, sicut stelle in secu-
lum & perpetuum. Qui locus, si, ut quidam autumare non verentur,
de Judæis ab Antiocho oppressis, post liberandis, & in patriam redu-
cendis, ageret, quomodo diceretur in eo (1) quosdam evigilatu-
ros ad vitas seculi. (2) Quosdam vero ad opprobria & contemptum secu-
li. Reduces enim Judæi non ad vitas seculi superstitarunt, sed mox
naturæ debitum persolverunt; & liberari à tyrannide Antiochi, re-
vertique in patriam non erit ad opprobria & contemptum, imo con-
temptum seculi evigilare. Unde Dn. D Geierus commentar. in h. l.
*hic agi de defunctorum resurrectione una vobiscum agnoscunt hic Judæi sa-
pientiores.* Nec licet dicatur MULTI è DORMIENTIBUS, univer-
salitas resuscitandorum perit, cum illa vocula ^ἄ interdum in Scriptu-
ra redundet, ut Psal. 16. 4. libamina ipsorum de sanguine i. e. sanguinea:
etiam denotare possit materiam, unde illi multi sint venturi, non ex
viventibus, sed jam dormientibus. vid. Geierus in h. l.


§. 27.

Ex N. T. plura eaque omni exceptione majora profutura mor-
tuorum resurrectione fundamenta arcessi possent. Ut brevitati ve-
lificemur, producimus in præsentia (α) Joh. 5. 28, 29. ipsa ve-
ritas Jesus Christus, Veniet, ait, hora, in qua OMNES qui in monumentis
sunt vocem audient (Filiis Dei v. 25.) Et prodibunt qui bona fecerunt in resur-
rectionem vitæ: qui vero mala egerunt in resurrectionem condemnationis.
Ubi explicatur simul quinam illi multi, de quibus Angelus apud Da-
nielem cap. 12, nempe intelligi omnes à primordiis mundi defunctos,
nemine excepto. Quamvis enim vocula MULTI formaliter plura-
litatem sive multitudinem significet, nec formaliter æquipolleet sive
universali sive particulari, sed ab utroque præscindat, non tamen du-
bium, est quin interdum per multos OMNES intelligantur. Sic cū Rom.
5. 12. dicatur, per unum hominem peccatum in mundum introiit, ac per pec-
catum mors, & sic in OMNES homines mors pervasit, mox vers. 15. dicitur: *U-
nius delicto MULTI mortui sunt.* Et quia audire, prodire, est suppositorum,
proinde notanter dicitur, quod omnes illi qui in monumentis sunt,
sint audituri, prodituri. Ergo iidem numero, non vero alii numero
homi-

homines, qui obdormierunt, & quorum corpora in cineres sunt resoluta. (β) 1 Cor. 15. Paulus in eo totus est, ut mysterium resurrectionis mortuorum inculcet. Inter alia vero vers. 53. Oportet, ait, corruptibile Hoc induere incorruptibilitatem; & mortale Hoc induere immortalitatem. Quorum verborum veritas sibi constare non potest, nisi idem numero corpus, quod seminatum fuit in corruptione resurrexerit in incorruptibilitate, idem numero *per naturam* licet ratione qualitatatum diversum *per gloriam*. (γ) denique in 1 Thess. 4. ita Paulus vers. 13. *Nolo vos ignorare fratres, de iis qui obdormiverunt, ne doleatis, quemadmodum & ceteri non habentes spem.* & vers. 16. ipse Dominus cum hortatu & voce Archangeli, ac tuba Dei, descendet de caelo, & mortui in Christo resurgent primum. Ubi licet agat de mortuis in Christo, tamen dicit eos obdormiisse. Ut igitur idem numero homo est qui obdormiit & evigilat; ita iidem numero fideles erunt, & qui mortui sunt, & qui resuscitabuntur.

§. 28.

Hæc in præsentia sufficiant. Ex his crediderim satis superque constare resurrectionem mortuorum, in eodem numero quo ceciderunt corpore, non esse impossibilem, sed probabilem, imo certo futuram. Non igitur doleamus quemadmodum ceteri qui spem non habent, sed credamus, quod sicut Jesus mortuus est & resurrexit, sic & Deum eos qui obdormierunt, per Jesum adducturum cum illo, proinde consolemur nos mutuo sermonibus illis, itaque vivamus, ut Deo nostro placeamus, quia omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, ut reportet unusquisque ea quæ fiunt per corpus, juxta id quod fecit, sive bonum, sive malum fuerit. Tibi vero JESU CHRISTE, judex future vivorum pariter ac mortuorum, sit cum Patre ac Spiritu S., Laus & gloria in nunquam intermoritura secula.



Corol-

Corollaria Respondentis.

x.

DEUS describi, definiri non potest.

2. Gratia, quæ Deus post lapsum fideles poenitentes amplectitur, malis Angelis post lapsum illorum justissime fuit denegata.

3. Deus ab æterno, propter Christum fide finali apprehensum, homines quosdam, propter peccatum gehennæ adictos, elegit ad Vitam Æternam.

4. FIDES QUÆ ACTIVA non QUATENUS ACTIVA ingreditur Decretum Electionis.

5. Satisfactio Christi in V. T. promissa, licet non præstita, verè tamen fidelibus sub illo viventibus fuit imputata.

6. Certitudo perseverantiæ finalis non est absoluta sed hypothetica. Hülsemann. in Brev. ext. p. m. 219.

7. Petrus non obstante Promissione & Intercessione Christi, Luc. 22, 32. descripta, fidem TOTALITER ad tempus amisit.

8. Antichristus Ecclesiasticus in Templo DEI, juxta 2. Thess. 2, 4. sedet, non quoad situm Corporis, sed quoad usurpationem Regiminis.

9. Ex loco 1. Cor. 3, 15. male extruitur Purgatorium.

10. Quantitas intensiva gloriæ æternæ quoad Beatos erit diversa.

11. CHRISTUS verè Marc. 13, 34. diem extremum ignoravit. v. Kromayer. p. 1. Th. Posit. p. 245.

12. Diabolis & damnatis nulla liberatio ex inferno speranda.



Coll. diss. A. 238, misc. 19